

catur accepisse, eamque gloriam, quam non habuit ante ascensionem, quæ *gloria corporis* esse dicitur. Hoc ergo tenebimus, gloriam acceptam esse, quam ante ascensionem non habuit. 2. Hæc gloria divini domini est, majestatis divinæ omnia implentis. Atque hac ratione majestatem, gloriamque divinam, quam ante ascensionem habuit *actu primo*, hoc est, possedit, jam habet *actu secundo*, hoc est, exercet & usurpat in regno suo, dominioque divino.

Obj. II.

§. 13. Alteram format objectionem, quam prolixius resolvit Cornelius, seque ipse clarius explicat. *Dices, si Christus est ad dexteram Patris, ergo Pater est Filio ad sinistram, ergo Filius honoratior est Patre.* Quatuor ad hanc objectionem responsiones ponit. *Primam* recte rejicit, & ratione solida, quam rationem si secutus esset, vel in hujus loci explicatione, solide omnia & recte explicuisset.

Resp. Cornelii

Prima.
An sinistra dextrum &c. honoratior?

Ait, quosdam dicere, *olim honoratiorem locum fuisse sinistram, non dextrum &c.* Respondet, hoc *dubium esse, imo antiquitatis peritos negare &c.* & *in scriptura* (verba sunt ipsius) *clarum est, passim dextram honoratiorem esse.* Utinam scripturam elaram ubique esset secutus. Hoc tamen observandum est, re existente dubia, quam asserant hi, negent isti, hac sententiarum differentia non attendita, ei inhaerendum esse, quod ex scriptura clarum est: atque adeo dextram honoratiorem habendam esse in explicandis scripturis, cum ex his clarum sit, dextram haberi honoratiorem, etiamsi dubium sit controversumque, dextrane, an sinistra fuerit honoratior?

Secunda.

An filius majorem præ se ferat dignitatem?

§. 14. Ait 2. *acutius alii concedunt Filium majorem præ se ferre dignitatem, quam Pater, licet revera ei sit æqualis, quia scilicet non Pater, sed Filius visibiliter judicium exercebit.* Hoc vero obtusum acumen est, sed ille *Maldonatum* suum citavit, quem ab acumine commendare solet, quod hic non apparet. 1. Num enim non sedet ad dextram Patris, ante quam visibile exerceat judicium? Vel, si & jam sedet, quomodo majorem præ se fert dignitatem, cum visibiliter judicium nec dum exerceat, si in eo majorem præ se feret dignitatem, quod visibiliter exercebit judicium. Non ergo sedere ad dextram Patris est majorem præ se ferre dignitatem. 2. Num acutius judicavit Maldonatus piis illis & eruditis Patribus, quos Cornelius dixit, sedere, de æquali majestate Filii cum Patre, explicare? 3. Si hoc elogium tribuitur in respectu ad priores scripto-

tes,